

uestris imperpetuum concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur uestrum in hac parte laudabile propositum in Domino commendantes et cupientes cultum diuinum feruenti desiderio adaugeri huiusmodi uestris supplicationibus inclinati fundandi cappellam ipsam in predicta ecclesia dote per uos de bonis uestris huiusmodi triginta florenorum auri in perpetuis annuis redditibus primitus assignata, ex qua perpetuus cappellanus instituendus in ea virtutum Domino perpetuo seruiturus congrue sustentetur, plenam et liberam uobis, jure tamen ipsius parrochialis ecclesie et cuiuslibet alterius semper saluo, auctoritate apostolica licentiam impertimur, jus presentandi cappellanum ad cappellam ipsam tam hac vice primaria, quam deinde successiue, quotiens eam vacare contigerit, diocesano loci uobis et eisdem heredibus ac successoribus imperpetuum concedentes. Nulla ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Auinione xvi (Kal.) Junii [pontificatus nostri] anno octauo.

4430.

1349 Maj 18.

Askaby.

Abbedissan Margareta Laurensdotter i Askaby bortbyter till Harald Laurensson sina och klostrets egor Sörby i Lannarö (Landeryds) socken mot hans gods Högby i Hærsæme (Häradshammar) socken och Solberga i Askaby socken.

Orig. på perg. i Sv. Riksark.

Vniuersis presentes litteras visuris vel audituris Margareta Lawrensdoter, abbatissa in claustro Askaby, totusque conuentus ibidem salutem in Domino sempiternam. Ne fiant lapsu temporis dubia, que sunt presentibus luce clarius manifesta, tenore presencium recognoscimus euidenter nos cum nobili viro Haraldo Lawrensson, presencium exhibitore, concambium et permutacionem prediorum quorundam vnanimiter statuuisse et secundum tradiciones legum patrie per sollempnitates, dictas feeste, presentibus fidedignis legaliter fecisse sub hac forma, ita quod eidem Haraldo predia nostra, Sörby dicta, de quibus septem thynones cum tribus modiis annone annuatim proueniunt, et in parochia Lannarø situata, cum domibus, agris, pratis, pascuis, siluis ac omnibus et singulis dictorum pertinentiis, mobilibus seu immobilibus, intra sepes et extra, prope vel a longe positus, quibuscumque censeantur nominibus, pro prediis suis, Høkxby dictis, in parochia Hærsæme situatis, cum terris suis in Solberghum, parochia Aschaby, situatis, de quibus nouem thynones cum tribus modiis annone singulis annis proueniunt, nobis per eundem Haraldum cum omnibus dictorum prediorum pertinentiis quibuscumque, jure perpetuo legaliter resignatis, sicut in litteris eiusdem super hiis confectis lucide continetur, damus et dimittimus jure plenario et perhenni, dantes et concedentes predicto Haraldo suisque heredibus plenum jus proprietatis et possessionis dominium sepedicta predia tenendi, commutandi, vendendi, alienandi et pro voluntatis sue libito libere ordinandi, per nos seu aliquos nobis adherentes vel adherere volentes concilio facto vel quocumque adinuencionis ingenio nullatenus reuocanda, ablataque nobis omni facultate dictam permutacionem in parte vel toto aliquid aliter inpu gnandi. In huius autem recognicionis euidentiam et cautelam firniorem sigilla venerabilium patrum et dominorum, Petri,

diuina prouidencia episcopi ecclesie Lincopensis, et Ragwaldi, Dei gracia abbatis in claustro Alwastrææ, necnon et sigillum capituli predictæ ecclesie Lincopensis vna cum sigillo nostro presentibus cum instancia petimus coaponi. Datum anno Domini m^occc^oxl^onono die beati Erics regis et martiris claustro nostro supradicto.

Sigillen borta.

4431.

1349 Maj 18.

Villa nova.

Påfven Clemens 6 förunnar dem, som på vissa angifna tider besöka Linköpings domkyrka, ett års och 40 dagars aflat.

Fredeheims afskr. saml. 2, s. 139

eft. Påfl. registr. i Vatik. ark. Clem. VI. ann. VIII. T. 2, p. 428 v. ep. 1525.

Clemens etc. vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. Splendor paterne glorie etc. Cupientes itaque, ut ecclesia Lincopensis in honorem beatorum Petri et Pauli apostolorum fundata congruis honoribus a Christi fidelibus frequentetur et ut ipsi fideles eo libentius causa devotionis ad ipsam confluent ecclesiam, quo per hoc ibidem uberiori dono celestis gracie conspexerint se reffectos, Nos de omnipotentis Dei misericordia ac dictorum apostolorum auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui in cene Domini ac ipsorum apostolorum Petri et Pauli ac commemorationis et conversionis eiusdem beati Pauli nec non ad vincula et cathedre beati Petri predictorum festiuitatibus ecclesiam ipsam causa devotionis visitauerint annuatim, singulis videlicet festiuitatum predictarum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitauerint, ut prefertur, vnum annum et quadraginta dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Datum apud Villam Novam Avinionensis diocesis xv Kal. Jun. Anno Octavo.

4432.

1349 Maj 18.

Villa nova.

Påfven Clemens 6 förunnar dem, som verksamt understödja Linköpings kyrkobyggnad, ett års och 40 dagars aflat.

Fredeheims afskr. saml. 2, s. 141

eft. Påfl. registr. i Vatik. ark. Clem. VI. ann. VIII. T. 2, p. 428 v. ep. 1526.

Clemens etc. *Eisdem.* Ecclesiarum fabricis manum porrigere adiutricem pium apud Deum et meritorium reputantes etc. Cum itaque venerabilis frater noster Petrus, episcopus Lincopensis, nobis exposuit [quod] ecclesia Lincopensis in honorem beatorum Petri et Pauli apostolorum fundata, que iam dudum construi et edificari fuit incepta opere sumptuoso, ex facultatibus ipsius ecclesie commode perfici seu alias consumari nequeat, nisi per fidelium pias elemosinas et caritatis subsidia subueniatur eidem, vniuersitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus attendentes provide, quod inter holocausta virtutum illud Deo acceptabilius reddatur, quod de pinguedine caritatis offertur, de bonis vobis a Deo collatis eidem ecclesie pro prefati operis perfectione pias elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem